

rum, quæ syncretica huiusmodi colluvies  
 Reipubl. cùm Hebrææ, tum Christianæ o-  
 mni tempore dedit, historiam, quam nota-  
 re augur publicus debet, cavere Princeps,  
 ni velit, dum pennas fugit, in retia incide-  
 re. Vultis Rempublicam converti, corrum-  
 pi, pessum ire? Syncretismo januam aperi-  
 te, quam cum aperuit Eva, omnem Evige-  
 narum politiam evertit. Ex quo Filii DEI  
 cum filiabus hominum sanguinem fidemq;  
 miscuere, viam Cain ingressi, gladio Spiriti-  
 tus in vaginam recondito, susque habito,  
 in rubiginem deformato, fatalis è Cælo  
 imber orbem sepeliit. Nimrod ipse no-  
 men suum, Apostata ac Sophista gloriæ  
 proposito illico, venatus nationum disper-  
 gendarum animos, immanem pharum ex-  
 truxit, Unionis syncretieæ obsidem, & con-  
 filii divini de Coloniis in omnem terram  
 educendis obicem. Quis sophismatis e-  
 ventus? lacepsita divina Nemesis Babelem,  
 Babelem esse jussit. Puppas ac idola ama-  
 vit politia Hebræa adhuc infans, Nilo-  
 ticus vitulis assueta, sed atroci servitute  
 luit, quod malè lusit: exitio excidioque de-  
 vota ob contagium moscholatricum, Moa-  
 biticum, Cananæum: restituta post solutam  
 captivitatem citius ruisset, nisi fatum syn-  
 cretismi (ex idiomate, & coniugio profa-  
 no, exotico, mixto, unde biformis & quasi

Aa 4 hybri-